



~~Litt.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. ~~ccccccc~~ CCCXIII.

42

DECANUS, SENIOR, ET RELIQVI FACULTATIS PHILOSO- PHICÆ PROFESSORES PUBLICI

Philosophie studia vel tractantibus, vel adjuvantibus
privatum docendo

S. P. D.

WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXIX.

Anno Christi MDC.LXXXII die 23. Febr.
Decano Spectabilis Viro Robustissimo. Egri Male Amplissimo
D. CHRISTIANO DORATTI Log. O.
Metaphys. P. P. in numerum Magistrorum Le-
gentium sum receptus Georgij Mihailij
Hungar. Sit Nomens Domini benedictum
qui Veritatem suam ferunt & diligenter
se etiam tripe exitum in bonum umbras
ut sit oupho ad alvnia, ille perro fit deg mey Ann!





• Vi in hanc Academiam venie-
bant olim novitiū studiorum , iis appo-
ni fermè ex nostro Ordine custodes
quasi ac monitores solebant , qvī vitam
ipsorum studiaqve inspicerent ac gu-
bernarent . Qvod institutum quan-
tas utilitates attulit , cùm observaretur ; tanta
post consecuta incommoda sunt , cùm exolevis-
set . Pauci callent ab se , qvid faciendum sit . Mul-
tos consortia prava corrumpunt , utcunqve rectā
indole natos . Jam ordinem studiorum qvotusqvis
qve tenet ? Alius necessaria negligit , in non neces-
sariis occupatur . Sunt qvi in parte perpetuò hære-
ant ; qvam nec negligere , & totum debebant tenere .
Invenitur & istud genus , qvi sine cortice natare se posse
existiment : & sibimetipſi discipuli juxta sint & doctores .
Qvibus omnibus caveri possit , si sint , qvos in consilium
adhibeant discentes , & cùm jam adhibuerint , auscul-
tent . Nunc cùm sibi qvisqve & relinqvatur & sapiat ;
sanè paucissimi officium faciunt . Et inde est , qvòd au-
ditoria fiant solitudines , & rati ad eruditionem aspirent ,
qvæ solida sit , & qviddam eximii promittere publico
qveat . De cæteris Facultatibus nihil attinet dicere . Ad
nostram qvod est ; nunquam instituuntur Candidato-
rum Magisterii examina , qvin id abundè experiamur .
Ita enim respondetur à non paucis , ut facile constet ,
inanis potius & obliviscenda ; qvam necessaria , & qvæ in

usu sunt, didicisse. Cæterum rectè semper admove-
tur morbis manus; licet non semper feliciter & cum suc-
cessu. Qvare cum incumbat nobis, videre, ne quid res
Philosophica detrimenti patiatur; atqve cavere adeò,
ne & impediatur commodi publici ratio, & dignitas Ma-
gistrorum evilescat; in medium consulimus, qvâ ratio-
ne sisti hæc labes, & in utrumque provideri rectè queat.
Ac est per vasum nobis penitus, hoc maximè fonte ma-
nare malum, QVOD NEGLIGUNTUR LECTIO-
NES PUBLICÆ; PRIVATÆ HAUD RARO PERPE-
RAM INSTITUUNTUR. Nam multa quotidiè com-
mitti constat contra sancta legum; & qvæ prudenter
majores summoqve consilio circa eas constituerunt.
Qvibus ut nihil neqve utilius est, nec necessarium ma-
gis, ita cum primis vindicanda in lucem ac usum denuò,
atqve id circò descripta typis promulganda omnibus, qvò
notiora fierent, nec locus esset obtentui, qvi peti ab
ignorantia aliqua posset, in præsenti sunt visa. Præde-
cessorum nostrorum exemplo, qvi ante hos LXX. annos
eadem ita publicarunt. Qvibus ut sua iterum consti-
tuatur autoritas ac vis, privatos Lectores omnes mone-
mus, ut ad. XVII. Jul. H. IX. in ædibus Decani conve-
niant, tum ut rationes reddant de administratis parti-
bus; tum ut moneantur de iis paullò uberioribz, qvæ maxi-
mè illis tenenda deinceps & observanda fuerint. Ad
publicas autem lectiones quod attinet, invitare quem-
que ad illas frequentandas debebat, tum utilitas insignis
Philosophiæ atqve præstantia, qvæ per se manifesta est,
nec ullo verborum patrocinio indiget, tum si quis consi-
deret, quantum possit præceptoris vox; & quantum in-
tersit veterano magistro, & qui subactus multo usu sit,

A 2

coqve



eoqve judicio magis polleat, qvām eo uti, in quo hæc
omnia desiderantur. Sed qvoniam nihil horum ma-
gnoperè attendere nostri sponte volunt, qvædam qvasi
admovendæ machinæ sunt, qvibus, qved impetrari
aliàs haud potest, obtineatur. Constituimus igitur
sanximusqve, ne quis deinceps petiturus honores
Magisterii, admittatur ad Examina, nisi qui
rebus idoneis docuerit ante, ac demonstrârit, se
Professores Philosophicos aut omnes ordine, aut
maximam partem audivisse, atq; sic absolvisse
disciplinarum orbem: aut sanè præcipuas cum
Linguis atq; Mathematicis, qvod leges exigunt,
diligentiis paullò excoluisse. Indignum qvippe
est, audire qvem velle Philosophiæ Magistrum; qvi in
paucissimis partibus huic incubuerit, qvam totam de-
bebatteneret, mediocriter licet, & ut nullius planè di-
sciplinæ sit rudis. Qvod cùm & à Serenissimo ELE-
TOR E PRINCIPE, Domino ac Nutritio nostro
clementissimo sit confirmatum, & in aliis Academiis
obtineat, & à prudentibus probatum constet: nemo,
putamus, periculosæ cujusdam novitatis nos accusabit.
Non temerè qvidem migranda consuetudo vetus est:
sed si cum utilitate insigni ea res conjuncta sit, religio-
ni haud esse debet, vel tollere etiam vetera, ut nova &
meliora surrogentur. Nam usitatis jam olim adjicere
aliquid, qvod emolumento sit, tam extra omnem repre-
hensionem positum semper fuit, ut laude etiam dignum
haberetur. Sed hoc de nostris tantùm decretum vo-
lui-



luiimus, non illis, qui peregrinè ad Nos veniunt, gradus
hujus petendi causâ. Qvibus tamen ipsis quoque non
temerè antè patebit accessus, nisi probaverint, in iis,
in quibus vixerunt hactenus, aut jam nunc vivunt,
Academiis, Auditionibus Philosophicis sedulò inter-
fuisse, atque sic comparasse eam doctrinam ac erudi-
tionem, quæ digna publico testimonio tituloque videa-
tur. Cætera quæ hic fiunt perperam, & deterrere non
paucos à petendo gradu hactenus conservaverunt, suo
curabimus tempore, ut emendentur, quantum potest,
ac removeantur. Nam in utroque satisfaciendum
officio est, videndumque, ut ad indignos ne veniant præ-
mia, quæ debebantur merentibus; & ne quid sit, quod
horum conatus remorari possit. Nunc autem de eo
Vos admonere oportuit, de quo præcipue cogitandum,
ac primò. Quo norint mature, quas sibi implendas
partes habeant, qui aspirare ad nostros honores dein-
ceps velint. Deum precamur, ut instituti hoc genus
salutare sit literis feliciterque eveniat; egregiaque stu-
dia è situ & squalore vindicentur, nec non ad priscam
felicitatem efflorescant iterum, & fructus uberrimos
in omnes Reipubl. partes diffundant ac spargant. Ad
tollendos autem abusus, qui in exercitia disputatio-
num publicarum, nec non collegiorum privatorum
irreperserant, HÆ LEGES communi omnium Philo-
sophiae Professorum consensu, jam olim latæ, & au-
ctæ nunc alicubi, sanctæ fuerunt. P. P. Do-
minicæ IV. à Festo TRINITAT.
anno clc lcc LXXIX.

A 3 LEGES



LEGES DOCENTIUM.

1. Qui in Facultate nostra legere, & docere voluerint, Artium liberalium sint Magistri, & quidem ante annum, vel ad minimum ejus dimidium promoti: quiq[ue] eruditionis suae specimen per publicam Disputationem, sub Professore habitam, ediderint.
2. Iste nomina sua edant apud Decanum, qui eos in Matriculam Facultatis ordine inscribet.
3. Magistros vero Facultatis nostrae, Matricule non inscriptos, bis legere, regere aut disputare, Studiosos quoq[ue] tales audire, interdicto Electorali jam olim probitum est.
4. Magistros quoque privatim legentes decet bonum Facultatis pro virili procurare, eandem domi legendu[m], vel disputando adjuvare, Disputationes ordinarias visitare, & publicè quoque disputare.
5. Hanc in rem q[ui]libet Decanorum omnes Magistros privatim legentes sub initium sui Decanatus semel convocabit.
6. Convocati Magistri eligant lectiones & exercitia, eō semestri instituenda, & Facultatis de iisdem audiant judicium: nam circa hujus consensum nemo quicquam interpretari, vel legere debet, sub pœnâ, si secus actum fuerit, duorum Imperialium.
7. Cum primis autem Decanum & Professorem ejus Scientiæ, in quamque Lectionem, quotiescumque ea suscipitur, consentire necessum est. Qvare nulla planè significatio ullius exercitii privati fieri debet, nisi ab hisce impetretur venia, & Decanus cum Professore ejus Scientiæ, id sub notatione nominis sui, ad programma restetur.
8. Eleçio exercitiorum privatorum discretè instituatur, ut diversa diversa seligant, & plerq[ue] Philosophiae partes eodem tempore prelegantur.
9. Legantur autem privatim iidem Auctores, qui publicè prælegi solent; attamen per vices, ne ea, quæ actu publicè leguntur, eodem tempore à privatis lectoribus proponantur.
10. Qvoniam exitiosum est communibus studiis, imperitam adolescentiam ab Auditoriis publicis, in quibus Viri, tum SERENISSIMI

MI



MI ELECTORIS SAXONIÆ , tum Senatus Academicus iudicio probati docent , abduci, sedulò caveant privati lectores , ne horas lectionibus publicis destinatas occupent , sub Pœnâ in antiquis Legibus expressâ , duorum Imperialium.

11. Ad Exercitia aurem domestica vacant usq; ad septimam matutinam omnes , item à decimâ ad primam meridianam omnes ; nec non à quinta vespertinâ reliquæ . Mercurii deniq; dies & Sabbathi , præter horas , qvibus sacræ baberi solent conciones .
12. Nemo legat vellicatim , aut saltuatim , aut suas collectitias meditationes ad calatum dissentium dictitet .
13. In Legendo qvilibet ita versetur , ut non nisi consona doctrinae publicæ adstruat : & à novandi studio sibi omnino temperet .

II.

LEGES DISPUTANTUM.

1. Qui non tantum legere privatim , sed disputare insuper voluerit , non temere sibi Præsidis partes sumat , nisi ante satis fuerit in hac palestrâ , tam opponendo , quam respondendo , spectatus , & post Magistri titulum , sub Præsidio Professoris Publici in hac Academiâ , vel Adjuncti , semel atq; iterum Respondentis locum cum laude defenderit .
2. Has partes qui primò omnium tentare velit , non alterius Professoris eligat materiam , quam de qua antea publicè responderit sub Professore .
3. Priusquam Disputatio publicè proponatur , Decano & Professori illius Scientie , unde Disputatio desumpta , octiduo ante exhibetur , atq; in geminis quidem exemplis , additâ inscriptione , ne litera quidem aut syllabâ inter se discrepantibus : ut alterum retinet Censor , provocare quod posse , si super negotiò aliquo , quod eò pertineat , quid controversia forte inciderit .
4. Argumenta Disputationum non sint miscellanea , sed ad illustrandam unam aliquam doctrinæ Philosophicæ partem accomodata.

5. Aliens



5. Alienæ non admisceantur, & extra Philosophicas metas sita: quæ cùm latissimè pateant, necesse non est, aliarum Facultatum invadere controversias, aut eò Disputationem abripere.
6. Corollaria vel nulla sint, vel paucissima: eaq; ab argomento Disputationis non prorsus aliena, affirmata insuper, vel negata.
7. In allegandis Auctorum testimoniorum delectus adhibeatur; nec minus modestia, in dissensu cum primis, nam à prepostoris audaculisq; censuris abstinenter maximè est.
8. Qvod gravissimis rationibus ducti Publici Professores quandoq; faciunt, id imitandum sibi Magistrorum quilibet protinus haud putet. Neg; enim decent eadem omnes, nec licent omnibus omnia.
9. Thesum, in disputationem exhibitarum, numerus pagellas IIX. à Collegio liberaliter concessas, non excedat.
10. Habeantur Disputationes Philosophicæ diebus Mercurii & Saturni, & inchoentur horâ VIII. antemeridianâ, & II. pomeridianâ; finiantur verò horâ XI. & V. Tardius adveniens finit; in Fiscum Facultatis imperialem solvere teneatur.
11. Theses privatarum Disputationum typis neutiquam mandentur, nisi è Professorum numero sit, qui præsideat.
12. Si responsio aliqua vel oppositio displicuerit, liceat Decano, vel Professori præsenti, juventutis erudiendæ caussâ, amanter interfari. Neg; enim vel Opponens Præsidem, aut Respondentem, vel Præses, aut Respondens Opponentem verbis afficiat derisoris, improbrosis ac injuriosis quibuscunq; sed cum modestiâ, & transqvillitate uterg; tueatur partes suas.
13. Summatim, sint Disputationes omnes sincere, amicæ, non clamorosæ, aut odiosæ: magis ad eruendam veritatem, quam inanem gloriam aucupandam accommodatae.
14. In negligentias & excessus Magistrorum legentium Decanus animadvertiset, & eadem corriget: Rebelles autem, cum consensu Facultatis, eò usq; à Lectione suspendet, donec satisficerint.



Ung. VI 58. (A)

ULB Halle
002 686 287

3



56,

VDI 7
Sep. 2000 Pcl.



Farbkarte #13

B.I.G.
Centimetres
Inches

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
Black

NUS,
RELIQVI
HILOSO-
ESSORES

42

ibus, vel adjuvant-
cendo

I, Acad. Typogr.
XIX.

XII. die 23. Febr.
obligatio. Egredere Angelico
ATI Log. D
in Maistrorum Le.
wngi. Modestus
Dominus benedictum
eat & diligenter
in bonum omnium
ille perfrui degredi. Amen!